Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Legenda Aurea - Cod. Aug. perg. 256

Jacobus <de Voragine>

[S.l.], [14. Jahrh.]

De sancto Iohanne evangelista

urn:nbn:de:bsz:31-66161

Visual Library

a Ieronimo ad augustinum rediret quasdam reliquias detulit sancti stephani ad quarum presentiam et plurima alia miracula facta sunt. Notandum quod beatus stephanus hac die passus non est, sed in die ut dictum est quo eius inventio celebratur. Eius autem inventio hac die dicitur accidisse. Sed quare festa mutata sunt dicetur cum de inventione agetur. Ad presens autem hoc dixisse sufficiat quod duplici ratione de causa ecclesia hec tria festa que sequuntur nativitatem domini sic voluit ordinare. Prima causa est ut christo sponso et capiti omnes sui comites adiungerentur de quibus convenit dicitur: Dilectus meus candidus et rubicundus electus ex milibus. Candidus quantum ad Johannem evangelistam preciosissimum confessorem. Rubicundus quantum ad stephanum prothomartirem. Electus ex milibus quantum ad turbam innocentium virginalem. Secunda causa est ut sic ecclesia omnium martirum genera secundum gradum dignitatis simul adunaret, quia christi nativitas causa martirum fuit. Est enim triplex martirium: unum voluntate et opere, secundum voluntate et non opere, tertium opere sed non voluntate. Primum fuit in beato stephano, secundum in beato Johanne evangelista, tertium in innocentibus.

De sancto Johanne ewangelista

Johannes interpretatur dei gratia vel in quo est gratia vel cui donatum est vel cui donatio a domino facta est. Per hoc intelliguntur quatuor privilegia que fuerunt in beato Johanne. Primum est precipuus amor christi. Nam pre ceteris apostolis ipsum dilexit et maiora dilectionis et familiaritatis signa ostendit, et ideo dicitur dei gratia quia domino gratiosus fuit. Plus petro ipsum dilexisse videtur, sed hec est dilectio animi et signi, et illa que est signi duplex: una que consistit in familiaritatis ostensione, alia in beneficiorum exhibitione. Quantum ad primum utrumque equaliter dilexit. Quantum ad secundum plus Johannem, quantum ad autem plus petrum. Secundum est carnis incorruptio quia virgo est a domino electus, et ideo dicitur in quo est gratia. In ipso enim fuit gratia virginalis, vir enim de nuptiis volens nubere a domino vocatus fuit. Tertium est secretorum revelatio, et ideo dicitur cui donatum est, cui donatum est multa et profunda nosse sicut de divinitate verbi et de consummatione seculi. Quartum est matris dei commendatio, et ideo dicitur cui donatio facta est maxima a domino. Nunc eadem donatio facta est quando mater dei in eius custodia donata est. Cuius vitam Militus Laodicensis episcopus scripsit quam Ysidorus de ortu vita et obitu sanctorum patrum abbreviavit. De nomine

Johannes apostolus et evangelista dilectus a domino et virgo electus post penthecosten divisis apostolis in Asyam est profectus ubi ecclesias multas fundavit. Domicianus imperator audiens eius famam accersitum eum in dolium ferventis olei ante portam latinam mitti iussit. Ille autem inde exiit illesus sicut a corruptione carnis extitit alienus. Videns imperator quod non se a predicatione desisteret, eum in pathmos insulam exilio relegavit, ubi solus degens apocalipsim scripsit. Eodem autem anno imperator propter nimiam suam crudelitatem occiditur et omnia que fecerat irritantur. Sicque factum est ut sanctus Johannes qui cum iniuria in insulam deportatus fuerat cum honore ephesum remearet. Occurrit ei universa turba et dicit: Benedictus qui venit in nomine domini. Cum autem urbem ingrederetur Drusiana eius dilectrix que suum plurimum desideraverat adventum mortua efferebatur. Parentes eius vidue et orphani dixerunt ei: Sancte Johannes, ecce Drusianam efferimus que tuis semper monitis obsecundans nos omnes alebat tuumque plurimum desiderabat adven-

tum dicens. O si viderem apostolum dei antequam
moriar. Ecce venisti et te videre non potuit.
¶ Tunc iussit feretrum deponi et eam re
solvi dicens: Dominus meus Jhesus Christus suscitat
te Drusiana. Surge et vade in domum
tuam et para mihi refectionem. Statimque illa
surrexit et cepit ire sollicita de iussione
apostoli ita ut sibi videretur quod non de morte sed
de sompno excitata esset. ¶ Altera autem die
Craton philosophus in foro populum convocavit
ut ostenderet quomodo hunc mundum contempnere de
beret. Duos enim ditissimos fratres iuve
nes gemmas preciosas distracto toto
patrimonio emere fecerat et eas in aspectu
omnium confringi iussit. Contigit quod a
postolus illuc transitum faceret vocansque ad
se philosophum huiusmodi mundi contemptum triplici ratione con
dempnavit. Primo quia hominum ore lauda
tur sed divino iudicio condempnatur. Secundo
quia tale contemptum vicium non curat
et ideo vanum est sicut medicina dicitur vana
que morbum nequaquam curat. Tertio quia con
temptus meritorius est qui sua pauperibus e
largitur sicut dominus iuveni dixit: Si vis per
fectus esse, vade etc. Cui Craton dixit:
Si vere deus magister tuus est et vult ut hu
ius gemmarum pretium pauperibus erogetur, fac
quod redintegrentur ut ad eius gloriam facias quod
ego ad hominum feci famam. Tunc beatus Johannes
gemmarum fragmenta in manu sua colligens
oravit et facte sunt integre sicut prius. Statim
que philosophus et illi duo iuvenes crediderunt
et gemmas vendentes pauperibus pretium ero
gaverunt. ¶ Duo igitur alii iuvenes hono
rati horum exemplo vendiderunt omnia et
pauperibus erogantes apostolum sunt secuti. Qua
dam autem die videntes servos suos preciosis
suis indumentis fulgentes et nimia pau
pertate se degentes tristari ceperunt.
Quod cum sanctus Johannes advertisset eo quod starent

tristes in vultu, virgas et lapides minu
tos ab litore maris deferri fecit et eos
in aurum et gemmas convertit. Quos iussu apostoli
universos artifices et gemmarios per vii
dies circuerunt, reversi sunt dicentes quod illi
numquam tam purum aurum et tam preciosas
gemmas se vidisse testati sunt. Quibus
ait: Ite et redimite terras vobis quas ven
didistis, quia celorum premia perdidistis.
Estote floridi ut marcescatis, esto
te divites temporaliter ut in perpetuum mendi
cetis. Tunc apostolus contra divitias cepit diu
disputare ostendens quod vi sunt que nos
ab immoderato divitiarum appetitu debent
retrahere. ¶ Primum est sacra scriptura,
unde recitavit hystoriam de divite
epulone quem deus reprobavit et de lazaro
paupere quem elegit. ¶ Secundum est natura, quia
homo nudus et sine divitiis nascitur et nudus
sine divitiis moritur. ¶ Tertium est creatura,
quia sol luna et sidera pluvia aer
omnibus communiter sua beneficia largiun
tur. Sic et inter homines omnia communia esse de
berent. ¶ Quartum est fortuna, dicens enim quod dives
fit servus nummi et dyaboli. Nummi
quia non possidet divitias sed ipse a divitiis
possidetur. Dyaboli quia iuxta evangelium amator
pecunie servus est mammone. ¶ Quintum
cura, quia habent curam sollicitudine diur
nam et nocturnam in acquirendo et custo
diendo. Quia in acquirendo habent laborem
et in custodiendo timorem. ¶ Sextum iac
tura, et ostendit quod divitie secum iactu
ram, quia in presenti duplicatum est malum,
scilicet in presenti quod est elatio et malum in futuro
quod est eterna dampnatio, tollitur quod est in presen
ti duplex bonum, scilicet bonum in presenti
quod est gratia et boni in futuro quod est eterna gloria.
¶ Dum igitur sanctus Johannes talia contra divitias
disputaret, ecce quemdam iuvenem quem die mo

cum effectus esset quod xxx dies habebat quod uxorem suam acceperat. Venientes ergo mater vidua et ceteri qui cum ea flebant ad pedes apostoli procubuerunt rogantes ut hunc quoque sicut Drusianam in nomine domini suscitaret. Flente igitur apostolo diu et orante continuo surrexit. Precepitque ei ut illis duobus discipulis enarraret quantam incurrissent penam et quantam gloriam perdidissent. Qui multa de gloria paradysi et de penis inferni quas viderat enarravit dicens: O miseri, vidi angelos vestros flentes et demones exultantes. Dixitque eis quod perdidissent eterna palatia que sub gemmis coruscantibus fabricata claritatis mirabilis continua copiosis epulis referta deliciis plena gaudiis gloriosa et imperpetuum permansura.

Decem autem inferni penas dixit que hiis versibus continentur: Vermes et tenebre flagellum frigus et ignis. Demonis aspectus scelerum confusio luctus. Tunc ille qui fuerat suscitatus et illi duo discipuli ad pedes apostoli se prosternentes rogabant apostolum ut misericordiam consequerentur. Quibus apostolus ait: Triginta diebus penitentiam agite interim quoque orate ut virge et lapides in pristinam redeant naturam. Quod cum fecissent ait eis: Ite et unde tulistis lapides deferte. Quod cum fecissent et virge et lapides in suam naturam reversi fuissent omnem virtutis gratiam quam prius habuerant receperunt.

Cum autem beatus Johannes per totam Asyam predicasset, cultores ydolorum seditionem in populo concitantes Johannem ad templum Dyane trahebant cogentes eum sacrificare. Johannes hanc divisionem proposuit ut aut ipsi ad invocationem Dyane Christi ecclesiam everterent et ipse ydolis sacrificaret, aut ipse ad invocationem Christi templum Dyane everteret et ipsi in Christum crederent. Huic sententie cum maior pars populi consensissent, exeuntibus cunctis de templo oravit apostolus et funditus templum corruit et Dyane ymago penitus comminuta est.

Aristodemus autem pontifex ydolorum seditionem maximam in populo concitavit ita ut una pars contra aliam ad prelium pararetur. Cui apostolus: Quid tibi vis faciam ut placeris? Cui ille: Si vis ut credam in deum tuum, dabo tibi venenum bibere, et si nullam in te lesionem intulerit, verus deus tuus apparebit. Cui apostolus: Fac ut locutus es. Et ille: Volo ut alios prius morientes videas et amplius sic pertimescas. Pergens igitur Aristodemus ad proconsulem duos viros decapitandos petiit et coram omnibus venenum eis dedit. Qui mox ut biberunt spiritum exalaverunt. Tunc apostolus calicem accipiens et signo crucis se muniens totum venenum bibit et nullam lesionem incurrit. Quapropter deum omnes laudare ceperunt. Aristodemus autem dixit: Adhuc mihi inest dubietas, sed si veneno mortuos suscitaveris absque dubio credam. Tunc apostolus tunicam ei tribuit suam. Cui ille: Cur mihi tunicam tuam tribuisti? Et apostolus: Ut vel sic vel confusus a tua infidelitate discedas. Cui ille: Numquid tua tunica me credere faciet? Et apostolus: Vade et mitte eam super corpora defunctorum dicens: Apostolus Christi me misit ad vos ut in nomine Christi exurgatis. Quod cum fecisset, illico surrexerunt. Tunc apostolus pontificem et proconsulem credentes cum omni parentela sua in Christi nomine baptizavit, qui in honore beati Johannis ecclesiam construxerunt.

Refert beatus Clemens sicut in iiii. lib. ecclesiastice hystorie invenitur

quod quodam tempore apostolus quendam iuvenem pulchrum et
fervidum vidit et eum cuidam episcopo sub deposi-
ti nomine commendavit. Post aliquod tempus iuve-
nis episcopum dereliquit et factus est princeps la-
tronum. Apostolus itaque ad episcopum venit et
suum depositum requisivit. Cumque ille de
pecunia crederet et territus vehementer stu-
peret dixit ei apostolus: Iuvenem illum a te re-
peto quem tibi tam diligenter commendavi.
Cui ille: Pater sancte iam animo mortuus est et in
tali monte cum latronibus degit quorum
princeps ipse existit. Quod audiens
vestem suam scidit et caput suum pugnis
tundens: Bonum, inquit, te custodem fratris anime
dereliqui. Confestim igitur equum sibi parari
iussit et ad montem illum intrepidus
cucurrit. Quem cum iuvenis inspexis-
set pre pudore nimio statim equum as-
cendit et velociter aufugit. Apostolus autem
etatis oblitus urget calcaribus equum
et post tergum clamitat fugientis:
Ut quid fili dulcissime fugis patrem
et inermem senem? Ne timeas fili quia
pro te Christo rationem reddam et certe pro te libenter
moriar sicut Christus pro nobis mortuus est.
Revertere fili revertere quia Deus me misit.
Quod audiens compunctus rediit et ama-
rissime flevit. Apostolus autem ad pedes eius
procidit et manum eius tamquam per penitentiam iam
purgatam osculari cepit. Ieiunante
igitur et orante pro eo apostolo veniam a Deo
impetravit ipsumque postmodum episcopum ordi-
navit. ¶ Legitur quoque in eadem hystoria eccle-
siastica et habetur in glossa super II Iohannis
quod cum Iohannes apud Ephesum balnea lavan-
di gratia introisset et ibidem Cherinthum
hereticum vidisset inde protinus exsiluit
dicens: Fugiamus hinc ne balnea super nos
corruant in quibus lavatur Cherinthus
veritatis inimicus. ¶ Cum avis quedam per-

dix que dicitur viva beato Iohanni a quodam oblata
fuisset et ille eam quandoque demulcendo tangeret
et contrectaret quidam adolescens hoc videns
ad sodales suos ridendo dixit: Videte
quomodo ille senex cum avicula sicut puer
ludit. Quod beatus Iohannes per spiritum recognoscens
iuvenem ad se vocavit et quid in manu
teneret requisivit. Cum autem se arcum tenere
diceret ait: Quid inde facis? Et ille: Iuvenes
aves ac bestias sagittamus. Cui apostolus:
Qualiter? Tunc iuvenis arcum cepit tendere
et tensum in manu tenere. Sed cum nihil ei apostolus
diceret iuvenis arcum distendit. Cui Iohannes:
Quare fili arcum distendisti? Et ille: Quia
si diutius tensus teneretur ad iaciendum la-
cula infirmior redderetur. Et apostolus ad
hoc: Sic et humana fragilitas ad contem-
plationem minus valida fieret si semper in
suo rigore existens fragilitati sue
condescendere recusaret. Aquila et aqui-
la cunctis avibus celsius volat et
solem clarius conspicit et cum ex necessitate
ad yma descendit sic et humanus
animus cum se modicum a contemplatione retrahit
crebra innovatione ardentius ad celestia
tendit. ¶ Secundum igitur Iohannes ut testatur Ieronimus
cum usque ad ipsam suam ultimam senectutem
Ephesi moraretur et vix inter discipulorum
manus ad ecclesiam deferretur nec plura verba di-
cere posset ad quamlibet pausam hoc dicebat:
Filioli diligite alterutrum. Tandem fratres
qui cum eo erant admirantes quod semper ea-
dem diceret dixerunt ei: Magister quare semper ea-
dem loqueris? Quibus respondit: Quia preceptum
domini est et si solum hoc fiat sufficiat. ¶
Refert quoque Helynandus quod cum Iohannes evangelium
scribere deberet prius indixit ieiunium
ut orarent se digna scripturum. ¶
Fertur autem quod illo loco secretiori in
quo divina scripturus secesserat orasse

ut nullas huic in studio opi nutan
quit ymbrium in turnas pateret. hec
et eadem loco usque hodie reverentiam
elemosina fluant. ¶ Helynandus. Cum
igitur esset circa lxxx annorum et a passione
domini vero anno lxvii apparuit
ei dominus cum discipulis suis dicens: Veni
dilecte mi ad me quia tempus est ut in mensa
mea cum fratribus tuis epuleris. Surgens
autem ¶ Iohannes cepit ire. Cui dominus: Domi-
nica die ad me venies. Veniente igitur
dominica die universus populus convenit
in ecclesia que fuerat ipsi nomine fabricata. Qui a
pullorum cantu predicavit eisdem, hor-
tans eos ut in fide essent stabiles et
in mandatis dei ferventes. Post hec
foveam quadratam iuxta altare fieri
fecit et terram extra ecclesiam iactari. Descendens-
que in foveam expansis ad dominum mani-
bus dixit: Invitatus ad convivium tuum
domine Ihesu Christe venio, gratias agens quia
dignatus es me ad tuas epulas in-
vitare sciens quia ex toto corde de-
sideravi te. Cumque orationem finisset, tanta
lux super eum emicuit quod nullus in eum
respicere potuit. Recedente autem
lumine fovea plena manna inventa est,
quod in loco illo usque hodie generatur
ita ut in fundo fovee instar minu-
te arene scaturire videatur sicut in fon-
tibus fieri consuevit. ¶ Sanctus Edmundus
rex Anglie nulli petenti in nomine sancti
Iohannis evangeliste aliquid denegabat. Unde
contigit quod quidam peregrinus absente camera-
rio in nomine sancti Iohannis evangeliste importu-
ne a rege elemosinam postularet. Cum
rex preciosum anulum cum nil aliud haberet
dedit. Sed post plures dies quidam mi-
les Anglie in transmarinis partibus con-
stitutus ab eodem peregrino anulum re-
gi reddendum accepit, sic dicens: Ille cui et pro
cuius amore anulum hunc dedisti tibi
remandat. Unde liquide patuit quod sanctus
Iohannes in forma peregrini apparuit.
Ysidorus in libro de vita et obitu sanctorum
patrum: Mutavit Iohannes in aurum silve-
stres frondium virgas litorumque saxa
in gemmas, gemmarum fragmenta in propriam re-
formavit naturam, viduam precepto suscita-
vit et redivivum iuvenis corpus reme-
ante anima reparavit. Bibens letiferum
haustum evasit periculum et eodem per-
stratos vite reparavit statum. De

De innocentibus

Innocentes dicti
sunt triplici ratione scilicet ratione vite, ratione pene
et ratione innocentie assecute. Ratione vite
dicti sunt innocentes ex eo quod vitam in-
nocentem, id est non nocentem habuerunt. Nul-
li nunquam nocuerunt, nec deo per inobedientiam,
nec proximo per iniustitiam, nec sibi per aliquam
peccati maculam. Et ideo dicitur in psalmo: Inno-
centes et recti adheserunt michi. In-
nocentes in vita et recti in fide. ¶
Ratione pene, quia innocenter et iniuste
passi sunt. Unde psalmus: Effuderunt sangui-
nem innocentem. ¶ Ratione innocentie as-
secute, quia ipso martirio assecu-
ti sunt baptismalem innocentiam, id est ab
originali peccato mundiciam. De qua inno-
centia dicitur in psalmo: Custodi innocentiam
et vide equitatem. Custodi innocentiam
baptismalem et vide equitatem bo-
ne operationis. De nomine

Innocentes ab Herode ascaloni-
ta interfecti sunt. Tres enim fuerunt Hero-
des, quos scriptura sacra commemorat, quos fa-
mosos fecit eorum in familia crude-
litas. Primus dicitur Herodes ascaloni-
ta, sub quo dominus natus est. Secundus Herodes
dictus Antipas, qui Iohannem decollavit.